



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Error Imperatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

& deditioe accepit 23. Maij, & biduo post ingressus insepit: 5. vero Iunij Septemviralem dignitatem cum ditione annexa à Ioanne Friderico captiuo capite protestantium eiusque posteris ablatam Mauritio Duci Saxoniz & captiuo sobriuo contulit (b) captiuus vero ex ijs locis abductus est, & paulo post Landgrauus Hassiz Philippus alterum factiosorum caput Halz Saxonum captus est (c) Porro Ex-Elector cum abduceretur in vinculis zelo Academiae Luthero-VVittebergicæ æstusans filio in mandatis dedit, vt tempestate Belli dissipatas reliquias Academicorum colligeret, & Ienam transferret, quod mox cœptum est, sed pars Lutheranarum Academicorum VVittebergam cum Philippo Melancthone redire maluit, quæ nempe Molliorū erat, Rigidiore vero Ienam concesserunt. (d).

QVID IMPERATOR POST VICTORIAM egerit: & quomodo Interimistica religionis formula sit procusa,

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

- I. Error Imperatoris post victoriam in captiuo detinendis.
- II. Eiusdem in sedandis religionis controuersis studium.
- III. Concilium solum re-integrari vult.
- IV. Liber INTERIM ceditur.
- V. INTERIM vndiq; impugnatur.
- VI. Casar persequitur nolentes recipere Interimisticam Religionis formam.

I. CLEMENTIA illa qua Imperator post victoriam Saxoni (quem Schlüsselburgius impudenter Iesu Christi Martyrem appellat,) vitæ gratiam fecit, et si laudem eius per totum Christianum orbem plurimum illustravit, ad Ecclesiæ tamen quietem & securitatem parum profuit: sic vt nouæ semper victoriæ nouas Imperatori pepererint curas. Nam vt in rebus prosperis & omnibus victorijs perpetuam animi moderationem antehac semper vsus fuerat, adeo vt à militibus idem ei quod Hannibali exprobratum fuerit, quod nimirum Vincere sciret, at victoria vti nesciret; sic etiam eum satis habuit duos illos Principes per quinquennium fere aut sexennium captiuos secum circumducere, compedibus quidem fere singulis die-

bus oneratos, nullo alio cum fructu, quam quod eorum ignominia, vt quidam interpretari non verentur, gloriam quæreret. Interea coniugum lamentationibus, liberorum & cognatorum querelis omnium tam Germanorum, quam exterorum Principum aures quotidie pulsabant, plerisque passim indignantibus tantos istos Principes, & quidem sub extera gentis, quod inuidiam augebat, custodia, tam diu traduci; etiam inimicorum contra eosdem odio tandem in misericordiam verso. Inter ceteros ijdem grauius de hoc apud Galliarum regem conquesti sunt, qui iam dudum Cæsaris fortunæ & magnitudini inuidebat. In primis vero Protestantes Principes qui fidelem Cæsari in eo bello operam nauarant, pro captiuorum liberatione assiduo apud Cæsarem intercedebant: quum vero surdis auribus preces suas accipi viderent, graui concepta offensione, tempus & iniuriam hanc, vti interpretabantur, vlciscendi, & pristinam patriæ libertatem restituendi, simulque controuersiam de religione renouandi, opportunum circumspicere cœperunt. Melius sane Cæsarem facturum fuisse credibile est, si quibus vitæ gratiam fecerat, ijs integrum quoque libertatis beneficium concessisset, & sic vniuerso bello clementiâ finem imposuisset. Sed fato quodam fit, vt fortuna sæpe contra nostra instituta, consilia & præcautiones rerum euentus dirigat, eosque in sua manu esse demonstrat. Quis vero huius rei euentus fuerit, infra perspicue videbis.

II. Posteaquam Imperator tam graui bello alijque intricatis negotijs sese explicauit, circa Iulij mensem & à Principibus & ciuitatibus quos in gratiâ receperat (qui fere vnus victoriæ huius fructus fuit) ad decies sexies centena millia aureorū, & quingentas aut sexcentas circiter maiores machinas multæ loco exegit, tum rebelles quosdam & in primis Magdeburgenses, qui soli imperium detrectabāt, proscripsit: primam omnium religionis curam suscepit, quæ hæcenus velut in suspensio manserat. Quare & Ecclesiasticis bona restitui, & templâ polluta passim lustrarique expiari, diuinum denique cultum ad pristinam formam instaurari iussit. Comititia deinde Augustam Vindelicorum in sequentem mensem Septembrem indixit futura in quibus quum exposuisset, omnium malorum quibus hæcenus afflicta

O o 1

fit
b Vlenb Vit. Melanch. cap. 17. num. 2. c Mercator in Chronol. à Vlenberg. loco sit.